

proprie et intrinseca sacramenti obligatione; et consequenter dicendum, et vi objecti et intrinsece obligationis nullum esse peccatum, confirmationis sacramentum omittere.

Quamvis ejus neglectus ex accidente peccatum dici possit, nimirum ratione contemptus aut scandali; item ratione conscientie et caritatis propriæ: ut si practice quis sibi persuadeat, se non posse sine hoc medio tentationes contra fidem vincere. Quæ omnia de negligentibus sacram unctionem dici posse, nuper indicavimus.

TRACTATUS

DE

ORDINE ET MATRIMONIO.

PROŒMIUM.

1. Si S. AUGUSTINUM observamus Lib. 19. de Civit. cap. 13. *Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* At ampla nimis, atque æquo generalior plerisque videtur ea ordinis acceptio. Quod si tamen res eæ inter se diversæ certa quadam graduum superiorum atque inferiorum varietate distinctæ sibi mutuo ita nectantur, ut una referatur ad alteram, atque ad unum tendant, hoc sensu data ab AUGUSTINO notio ordinis vel maxime usum habet; et vero si præcipuam vim ordinis et notionem attendamus, ex se idem sonat, ac dispositio supremarum et inferiorum rerum, quæ sunt ita aptatæ inter se, ut una ad alteram referatur. Quin hoc sensu ab antiquis Patribus, scriptoribus Ecclesiasticis, atque Theologis frequenter ac proprie ordo accipitur pro *Hierarchia Ecclesiastica*, sive pro certo hominum statu in Ecclesia, in quo varii sunt distinctique graduum ordinum, sive ministrorum, ita ordinati, ut sit graduum subordinatio, perque minores ad majores ascendatur, omnesque in eundem finem tendant.

2. Æque frequenter iisdem ordo gradum certum ac dignitatem significat, quæ sic communis est multis, ut tamen sit ipsis propria, illosque discernat a cæteris omnibus: uti enim in republica civili varii distinguuntur ordines, ut ordo senatorius, ordo equestris; sic in Ecclesiæ hierarchia ordo Episcoporum; ordo Sacerdotum; ut apud AUG. epist. ad Generos. quæ est 165. (al. 53.), Tertullian. de exhort. Castit. c. 7. Illaque ratione jam a primis Christianæ religionis nostræ incunabulis ministri Ecclesiæ dicebantur ordo, teste TERTULLIANO de Idololat. c. 7.; cum e contra plebis appellatione venirent, quicumque in Ecclesiasticum ordinem non essent adlecti, quos et jam tum TERTULLIANUS frequenter *laicos*, seu *populum* appellabat, ut L. de Monogam. c. 11. *Quomodo totum ordinem Ecclesiæ de monogamis disponit, si non hæc disciplina præcedit in laicis, ex quibus Ecclesiæ ordo proficit.* Alii etiam *seculares* dicebant: item *idiotas*, hoc est, privatos homines, non autem indoctos, teste Binghamo, Orig. Eccles. vol. 1. pag. 41.

3. At vero ordo a Theologis ubi de sacramento hujus nominis disputant, quasi translato nomine effectus ad causam, et, phrasi Scholæ, *active* sumitur, hoc est, pro ritu, vel actione illa, qua cui confertur potestas sacra ad celebrandum Eucharistiæ sacramentum, vel illi ministrandum, itaque in ministrorum Ecclesiæ et hierarchiæ Ecclesiasticæ ordinem evehitur. Quo quidem sensu rectius *ordinatio* diceretur. Hac enim consideratione sola ordo sacramentum est, quippe in fluente et transeunte actione consecrantis, vel

ordinantis situm, non vero in re fixa et permanente, sive stabili illa potestate sacra, quæ confertur. Itaque sumptus ordo pro sacra illa ordinantis actione bene definitur et est *Sacramentum novæ Legis a Christo institutum, quo specialis datur potestas aliqua, et confertur gratia ad munia Ecclesiastica rite decenterque obeunda*. In qua definitione hæc: *specialis datur potestas, sacramenti hujus differentiam ab aliis novæ Legis constituunt; vox vero aliqua innuit, non eandem in omni ordine potestatem conferri*. Tota vero potestas, quæ datur, ad sacrum Christi corpus consecrandum traditur, eoque ordo quilibet tendit et refertur, tanquam ad finem suum et objectum primum.

4. Hoc sensu spectatus ordo, sive ipsum sacramentum ordinis, alio insuper a Latinis nomine præsertim antiquioribus, *impositio manuum* dicitur, a ritu illo externo, impositionis manuum ordinantis, quo confertur; qui mos, opinante Morino de Sac. Ordinat. p. 3. Exercit. 7. c. 4.; item Seldeno ad Eutychii Origines pag. 30. et Baronio ad an. Chr. 44. ad Christianos a Judæis transiit, qui Sacerdotes et Doctores suos ad eam dignitatem impositione manuum provehebant. Et vero de ordinatione intelligi debet, quod ait Lucas Act. 6. v. 6. de septem primis Diaconis: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus*. Item quod Apostolus 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*. Ac cap. 5. v. 22. *Manus cito nemini imposueris*. Demum 2. ad Tim. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Cum vero Ecclesia in sacramentis quibusdam aliis, ut Confirmationis ac Pœnitentiæ, item in ritibus subinde, velut cum olim publice pœnitentes, aut lapsi in hæresin reconciliarentur Ecclesiæ, uteretur impositione manuum, hæc, de qua agimus, discriminis gratia, *ordinatoria* dicebatur.

5. Sed et Græci gemino vocabulo, *χειροτονίας*, et *χειροθεσίας*, ordinationem designant. Utriusque vero quæ sit vis atque usus apud scriptores Ecclesiasticos, scire interest.

Χειροτονία, si vim præcise nominis ac primam originem spectemus, idem sonat, quod manuum extensio et porrectio; eoque sensu primum ab Atheniensibus usurpata ad significandam electionem magistratum, quod esset illius gentis consuetudo porrecta manu ferre suffragia. Sed inde ad Ecclesiam translata vox est, ac diverso quidem sensu, ut contendit Beveregius in Annot. ad Can. 1. Apost. apud Cotelerium, Patrum Apost. vol. 1. edit. Amstelod. novæ pag. 453., contra Lutheranos et Calvinistas erudite commonstrans, apud scriptores Ecclesiasticos *χειροτονία* non nisi pro impositione manus, sive vera ordinatione sumi; nec ordinatione qualicumque, sed Episcoporum.

Erudito huic scriptori Anglo eatenus consentio, quod apud scriptores Ecclesiasticos frequentissime ac plerumque *chirotonia* ad ipsam ordinationem et consecrationem, licet non Episcoporum tantum, designandam usurpetur, ad nudam vero electionem indicandam vix unquam. In Synodo Laodicena Can. 5. (Labb. t. 1. p. 1497. A.) pro simplici electione quibusdam videtur accipi; ait enim ibidem Synodus *non oportere χειροτονίας fieri in præsen-*

tia eorum, qui audiunt; quod de electionibus statutum esse putant BALZAMON et ZONARAS ad illum Canonem (Can. apost., etc. p. 341. edit. Paris. 1618.): *Cum namque in electionibus, aliquorum crimina, propter quæ illi forte a sacro Ordine arcendi sint, a Præsulibus enuncientur; Patres existimarunt, a ratione penitus esse alienum, aliquos adesse, qui ea, quæ dicerentur, exciperent*. At, quod idem Beveregius in Notis ad Can. Apost., Hubertus in Archieratico observant, chirotoniam aliquando quidem utrumque simul complecti, electionem et ordinationem, non vero electionem solam, idem ad Can. 5. Laodicenum non incongrue dixeris. Et vero omnes editiones latinæ pro græco *χειροτονίας* habent *ordinationes*.

At vero ita esse, quod modo dictum, *χειροτονία* vix unquam pro electione sumi a scriptoribus Ecclesiasticis, sed pro ordinatione, inde liquet, quod vocem illam semper ad ipsam ordinationem restringant. Auctor Constit. Apostolicar. L. 8. c. 21. (Labb. t. 1. p. 489. D.) *Quando, inquit, Subdiaconum ordinas (χειροτονῶν) Episcopo, impones super eum manus*. Canon Apostol. 1. *Episcopus, inquit, a duobus, aut tribus Episcopis ordinetur*, græce *χειροτονισθῶ*. S. EPIPHANIUS hæc. 75. (opp. t. 1. p. 908. A. edit. Petav.) Aerium refellens, qui presbyteros Episcopis esse pares ex eo asserebat, quod æque ac Episcopi manus imponerent, ait presbyteros manuum imponendarum jus nullum habere. *Ὁὐ μὴ ἐγγίεν χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν*. Eodem sensu S. CHRYSOSTOMUS constanter eam vocem usurpat homil. 14. 27. et 31. in Act. Apost. Homil. vero 13. in 1. Timoth. ad illud Apostoli: *Cum impositione manuum presbyterii: non de presbyteris, ait, hoc loco, sed de Episcopis loquitur Apostolus; non enim profecto presbyteri Episcopum ordinabant, ἐχειροτόνουν*. S. HIERON. in cap. 38. Isaiæ, cæterique passim, ut vix ex omnibus unum nominare queant Protestantes adversarii, qui pro mero suffragio, aut nuda electione chirotoniam usurpasset.

Atque istud præter Beveregium, de quo ante, plerique eruditi observarunt. Simeon Thessalonicensis Opusc. de Ordinationib. *χειροτονία* a *χειροθεσία* distinguit et priorem vocem de duobus majoribus ordinibus proprie accipi docet: *Lectoris est, inquit, signari; subdiaconi benedicti manuum impositione χειροθεσία; diaconi vero ac presbyteri ordinatione, χειροτονία*. Front. Ducaeus in Not. ad Chrysostom. *Apud profanos quidem scriptores, ait, χειροτονία, quæ proprie manuum extensionem sonat, decretum significat, vel suffragiorum lationem, sed apud auctores sacros pro Ecclesiasticorum ministrorum ordinatione sumitur*. Morinus de sacris Ordinat. P. 3. Exercit. 1. cap. 2. *Proprie, inquit, χειροτονία est ipsa ordinatio; tum ibidem monet, non aliud in libris ritualibus Græcorum ad significandam ordinationem nomen occurrere*. Demum Illustriss. de MARCA L. 6. Concord. cap. 2. num. 7. errorem detegens Zonaræ, Balzamon. et Blastaris circa Can. 4. Synodi Nicænae I. et Synodum Nicænae II. inquit: *Ideo facilius sibi persuaserunt, quod existimarint vocem χειροτονία, quæ in Can. IV. Nicæno habetur, accipi posse, quasi significet electionem, cum eo sensu reperiat apud Demosthenem et alios auctores profanos. Apud auctores tamen Ecclesiasticos vox illa semper significat ordinationem, quemadmodum a Frontone Ducaeo adnotatum est in Notis ad opera Chrysostomi*.

6. *Χειροθεσία*, ex vi nominis sui impositio manuum, antiquioribus præ-

sertim Græcis quamlibet sonabat impositionem manuum. Ac 1^o. pro impositione manuum ordinaria sumit EPIPHANIUS hæc. 75., et in fine Panarii ordinationem Episcopalem referens idem vocabulum adhibet. Quin *χρησας επιθεειν* usurpatur Act. 6. v. 6., 1. ad Tim. 4. v. 44., 2. ad Tim. 1. v. 6. idemque observat Petavius Lib. 2. de Hierarch. Eccles. c. 6., Cangius in Glossario, aliique. 2^o. Pro nuda benedictione Episcopi vel presbyteri, quæ fieri elevata manu solet, dum datur populo, accipit Aristæus ad Can. 106. Conc. Carthag. 3^o. Impositionem manus reconciliatoriam, vel benedictionem, qua recipiebantur redeuntes ad Ecclesiam Episcopi cum susceptis jam ordinibus, importat apud Tharasium Patriarcham Constantinop. Act. 4. Synodi generalis VII. 4^o. Synodus gen. I. Nicæna Can. 49. de Diaconissis agens, earumque consecrationem non esse veri nominis ordinationem monens, eadem voce utitur.

At, si recentiores Græcos adimus, *χειροθεσία chirotesia* ab iis modo magis restricte sumitur, ut vel impositionem manus tantum ceremoniam sonet; vel non nisi ad exprimendas ordinationes Diaconatu minores inseruiat, ut notant Jacobus Goar in Euchologio pag. 239. et 257., Bingham, Orig. Eccl. vol. 41. L. 4. cap. 6., item Bevereg. et Cangius citati; tum paulo ante ex Simeone Thessalonicensi, scriptore Græco vidimus.

7. Cæterum ordinationem e numero sacramentorum novæ Legis hodie expungunt Lutherani et Calvinistæ omnes; tametsi eorum majores circa hoc dogma variaverint. Equidem Lutherus ordinem esse verum sacramentum constanter negabat, præsertim L. de Captiv. Babyl. c. 7. de ordine, quem secuti Melancton in editione prima Locorum communium: Illyricus in Confess. Antuerpiensi: Kemnitijs parte 1. Exam. Syn. Trident. Negavit et Calvinus, duo tantum sacramenta recensens, Baptismum et Eucharistiam; at postea Inst. Lib. 4. cap. 14. sect. 20. et cap. 19. sect. 31. ordinem verum novæ Legis sacramentum pronuntiat, seque idcirco duo tantum statuisset sacramenta inquit, quod de iis tantum ageret, quæ Ecclesiæ toti et Christianis omnibus essent communia. Sed et Lutherani olim in Apologia Confess. August. ad artic. 13. ordini locum inter sacramenta concedebant; quin et Melancton postea in posterioribus, ordinem sacramentis accensuit. Cæteros eorum errores circa dogma de sacramento ordinis, suo quosque loco referemus.

DISSERTATIO I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

8. Subversionem catholici dogmatis de existentia sacramenti ordinis relati ante Novatores A catholici velut e longinquo moluntur. Pernegant dari in Christi Ecclesia ordinem ministrorum hierarchicum, seu statum quemdam ministrorum a laicali sive populari distinctum: aut si quid discriminis clericos inter et laicos ponatur, totum id, quantum est, ab arbitraria hominum institutione profluere. Quod, inquit Luther. Lib. de abrog. Missa privata ad illud S. Petri: non dominantes in cleris, *nostra translatio habet, non dominantes in cleris, interpretis incuria fuit, quæ fecit, ut clerum hoc loco intelligerent, quos nunc a laicis discrevit impia hominum traditio*: et infra: *hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta: nulla differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus*. Eodem modo Calvinus loquitur L. 4. Instit. c. 4. Appellatio, cleri, aut errore, aut certe ex prava affectione nata est, cum tota Ecclesia clerus, id est hæreditas Domini a Petro dicatur. A quo tempore discrimen clericos inter et laicos in Ecclesia obtinuerit, posteriores nostri temporis scriptores Protestantium non omnino conveniunt. Ad primum Ecclesiæ seculum refert illud Joseph Bingham, vir Anglicanæ addictus Ecclesiæ, in præstantissimo opere de Origin. Eccles. L. 4. c. 5., Moshemius Inst. Hist. Eccl. sec. 1. p. 2. sect. 1. cap. 2. aliique. Contra vero Boehmerus. Dissert. ad Tertullian. quæ est inter ejusdem Diss. Jur. Eccles. Lipsiæ editas 1711. ordine 5. quam Illustrissimo de Marca opposuit, discrimen illud enatum non ante Tertulliani tempora sec. III. contendit; etsi cætera in hoc convenient distinctionem status ecclesiastici et laici non juris aut institutionis divinæ, sed humanæ esse; nimirum conformiter capitali Protestantium systemati, quod primus Lutherus L. de captiv. Babyl. construxit: Ecclesiam esse societatem, sive collegium æqualium, cui sacrorum potestas in communi concessa sit, quam Pastores non nisi ex consensu populi exerceant; ut proinde nihil habeant principatus et imperii in populum, sed ministerium nudum, sive exercitium a populo concessum. A quo tamen tam adamato alias Protestantibus systemate eatenus recessere scriptores eorum alii, qui sacram potestatem in uno eodemque summo imperante ex natura et indole summi Imperii esse consociatam volunt, a quo Ministris cæteris delegetur. Ita Christian. Thomasius in cautelis circa præcognita Jur. Eccl. c. 18., Henric. Henniges de summa Potest. Imperator. circa sacra c. 2. aliique a Thomasio *Thomassiani* appellati.

Quare, quo adversarios e vestigio sequamur, cap. 1^o. de hierarchia Ecclesiastica, sive Ordine sacro hierarchico ministrorum Ecclesiæ, a laico peni-